

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Walter Vincent Wiese

Observationvm Historico-Ivridicarvm Circa Mvtationes Ivrivm, Ex Lapsv Temporis Ortas Exhibit

**Continuatio Tertia : De Mvtatione Ivrivm Et Principiorvm Ivrис Ex Hodиerna
Tolerantia Religionvm Orta, Qvaedam Disserit : [P. P. Svb Sigillo Rectoris Feria
Prima Pentecostes A. R. S. MDCCCLXXXVI.]**


Rostochii: Litteris Adleri Heredvm, [1786?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn878975497>

Band (Druck)

Freier  Zugang





T. 512.

1786. Pfingsten.

A-1256. 422.

1786.

DE

MVTATIONE IVRIVM ET PRINCIPIORVM IVRIS
EX HODIerna TOLERANTIA RELIGIONVM ORTA,
QVAEDAM DISSERIT,

ET SIMVL

CONTINVATIONEM TERTIAM OBSERVATIONVM
HISTORICO-IVRIDICARVM CIRCA MVTATIONES
IVRIVM EX LAPSV TEMPORIS ORTAS,

AD

EXCITANDAM CIVIVM ACADEMICORVM
PIETATEM

PER

INSTANTES DIES FESTOS
PENTECOSTALES

EXHIBET,

ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS NVNC RECTOR,
D. WALTER VINCENT WIESE

IVRIVM PROFESSOR ET CENTVMVIROVRM
SYNDICVS PRIMARIVS.



ROSTOCHII,
LITTERIS ADLERİ HEREDVM.

M. 1256 422

EXCELSIOR
PRINCIPIORVM LIBRIS
EXHODIENSIA FORTRANITI HISTORICIS
CARTIS ET DISSECTIS
CARTIS ET DISSECTIS
CARTIS ET DISSECTIS
CARTIS ET DISSECTIS
CARTIS ET DISSECTIS

EXCELSIOR CIVICVM ACADEMICORVM

PRINTATI

INSTANTES DIES FESTOS
PENTHEOSTALES

EXCELSIOR

ACADEMIA ROSTOCENSIIS IN RICOTOR
D' AUTEUR VINCENT ALERE


INSTITUTUM EXCELSIORUM LIBRARUM



LIBRARIS ADDITI HEREDAM
ROSTOCENI



EXCELSIOR



In tribus quidem iam exhibui commentationibus a) mutationes iurium, ex lapsu temporis, in statu Imperii nostri Romano-Germanici tam publico quam priuato, subinde exortas. Quae autem in nostris acciderunt principiorum tam aulicorum quam ecclesiasticorum, et politicorum mutationes temporibus, longe eminentiores largioresque ediderunt fructus salubres. Ex horum incrementis certe pullulascat germen maximorum eventuum, a maioribus nostris nunquam speratorum, nedum

a) 1) in disquisit. histor. jurid. an et quatenus justum consultumque sit, tempori inservire, a posteriori ventilata, adductis jurium mutationibus ex lapsu temporis in statu praeprimis publico sacri Romani Imperii ortis. 1765.

2) in programmate paschatos festivo sub titulo: continuatio prima disquisitionis historico-juridicae: an et quatenus justum consultumque sit, tempori inservire, a posteriori ventilatae, adductis nunc jurium et principiorum mutationibus ex lapsu temporis circa dies festos et quae in iis fieri solent, eleemosynarum collectiones ortis. 1779.

3) in programmate pentecostes festivo: quomodo circa commercia pecuniarum nominumque tempora inque iis principia juris se mutarint, tanquam continuatione secunda observationum historico-juridicarum eirea mutationes jurium ex lapsu temporis ortas. 1780.



nendum ab iis in somnio praevisorum. In terrenis euentibus, historia duce, quidem maximas experti sumus regnum, regionum, immo etiam imperiorum turbationes, cum plenario eorum interitu coniunctas, inter quas eminet ortus et interitus regnum Assyriorum, Babylonis, Iudeorum, Vandalorum et Venetorum, ut et Imperiorum Romanorum et Graecorum. Ut taceam, quae iam imminent fata Imperio Turcico et Regno Poloniae, ut et, nisi me omnia fallunt, Republicae Hollandiae.

Sicut autem hae mutationes publicae et politicae armorum tumultu et vi bellica exortae sunt: ita mutationum, quas nunc experimur in ecclesiasticis, gloria vnic eximio debetur Imperatoris nostri ingenio, eiusque laudabili, in purgatam religionem diuinam, feroori, sanctionibus et inuentionibus papalibus haud porro infucatam. Quae inter has in terris Austriacis acciderent et adhuc eueniunt mutationes, e litteris satis ita iam nobis innotescunt publicis, ut vltiore earum commemoratione supersedere possim. Idem obtinet circa res in vicinis gestas territoriis, inter quas eminet miranda retorsionis iucundae species a Saxonice statibus prouincialibus in eo publice exhibita, ut iuri renunciauerint reuersalibus electoralibus quaesito, iuxta quod nemo immobilia possidere et officiis publicis, ne insimis quidem, praefesse possit, nisi Augustanae Confessioni addiclus sit maneaque. Ex hoc ortum est exemplum, memoria aere perenniore dignum retorsionis, longe ab illa distantis, qua priscis intolerantiae temporibus principes statusque imperii augustanae confessioni addicli nimium catholicorum principum in propaganda religione sua fernorem, non aliter temperare ac reprimere potuerint, quam iure retorsionis idein, inuitis saepius saepissime propriis dentibus, in suis adornando territoriis, quod Catholicci in detrimentum religionis augustanae machinati erant. b)

Nunc

b) Exempla notatu digna eiusmodi retorsionis iuris iniqui ab Electore Palatino Carolo Philippo sibi subditis evangelicae religioni addicatis Anno 1719 illati tam per prohibitionem catechismi Heidelbergensis, quam per erectionem templi magni Spiritui sancto dicati, narravit Moser im Staatsrecht Tom. 10. pag. 313—335. ubi refertur de Rege magna

Nunc autem manus manum longe aliter lauat. In locum nimii et iniusti, immo longe noxi et exitiosi seruoris in propaganda religione, qua ipsimet imbuti sumus, successit studium tolerandi ciues aliter sentientes, alio Deum modo colentes, aliamque viam ad coelum eligentes ambulantesque. Non tolerandi solum successit studium, sed etiam amice se inuicem adiuuandi, vti constat ex nouissima conventione inter Landgrarium Hasso-Darmstadiæ et Abbatem Fulensem, eum in finem initam, vt clerici vtriusque religionis subditos eiusdem religionis, in alieno licet territorio degentes, non visitare solum, sed etiam aegrotantibus et moribundis ultimo eucharistiae et unctionis viatico opitulari queant.

Loco expulsionis subditorum caerimonias religionis vernaculae haud sequentium, inuitantur nunc ciues et incolae cuiuscunque sunt religionis, modo huius cultus et principia tranquillitatí non auersentur publicae, ad colendos agros, fabricandas rudes materias, et inhabitandas regiones alioquin desertas. Qui inter principes et episcopos catholicos olim in feruore expellendi ciues morigenos aliena sacra autem colentes reliquis antecessit Salzburgenfis, iam nunc praebet exemplum longe dignius in docendo mentem tolerantem, in praeci- piendo huius mentis exercitium clericis suae dioecesi subiectis, in reformato abusus superstitione introductos, stupiditate seruatos, et avaritia clericorum auctos, et in reducendo religionem Christi ad priorem simplicem formam ab omnibus tormentis, gesticulationibus et vestimentis ridiculis exemptam.

Non

magnæ Britanniae tanquam Electore Brunsuico Hannoverano templo Catholicorum Celteſe obferari iubente, et de Rege Borussiae tanquam Electore Brandenburgico templum cathedralē Mindense canonis catholicis auferente, totumque Capitulum dispergente, ut et monasterium Hammersleben dissolvente, eiusque bona fisco addicente. Hoc facto Elector Palatinus a via facti erga subditos suos evangelicos defistere statim commotus est, et promulgationem catechismi Heidelbergensis, cum restitutione templi Spiritui sancto dicati, permisit, addita hac solummodo conditione, ne insignia Electoralia primis catechismi paginis, uti ante moris fuit, anteponerentur. Quae cum innoxia fuit conditio, Reges praelaudati quoque non tardarunt, omnia in integrum restituere, quae jure retorsionis ante ordinaverant,

A 3

Non negandum quidem est, et in hoc salubri negotio limites facile transgredi posse, ita ut omnis sensim cesseret Dei cultus externus; nullumque porro permaneat signum ecclesiae cuiusdam significans, multo magis tot religionis existent sensus, quot forent capit. Tunc totus certe concideret status, ordoque clericalis, cuius quippe ope nemo amplius indigeret, nec ad imbuendam iuuentutem religiosi certae principiis, nec ad subministrandum auxilium clericale in exomologesi et eucharistia, ut et in benedictione sacerdotali, occasione contrahendi matrimonii et mortis subeundae, sed quilibet parent cum corpore animae subiret curam. Quis autem non abhorreteret eiusmodi statum haud absimilem gentibus meridionalibus non ita paullo post a nautis anglicis detectis, absque illa religione in summa barbarie viuentibus.

Simulac autem iusti obseruantur limites, tunc nemo certe sanctitatem religionis, cui ab incunabulis addictus fuit, venerari omittet, multo magis fervor amorque cuilibet fere innatus et lacte materno insitus ad ultimum usque perdurabit vitae halitum. Tanto maiore digni sunt laude et gloria *Luther*, *Calvinus* ceterique reformatores beati, hos viros tam antecedentes quam subsequentes, qui religionem nostram a naevis liberarunt hominum stultitia introductis, et eundem docuerunt erga errantes amorem, quem C H I S T V S ipse praecepit, dum eandem cum peccatoribus et publicanis habuit rem, quam cum caeteris egit civibus Iudeaeis.

Quo magis autem hi reformatores potentia deslituti fuerunt externa, et nihilo secius tantos in reformando fecerunt progressus, eo maiores sperandi sunt fructus a reformatribus hodiernis tanta non solum ob amplitudinem territorii, imperio ipsorum subdit, sed etiam ob militum copiam et ob ingenii sapientiam, auctoritate et fiducia praeditis, ut eorum ad exemplum multi iam se formarint imperantes, et reliqui certe iam in eo sint, ut vestigia ipsorum premant. Quid inde aliter sperandum, quam plenaria superstitionis, quae adhuc superest, extirratio, ceterorumque tam antiquitatis inveteratae quam auctoritatis nimiae praeiudiciorum explosio? Nonne iam vidi-
mus et experti sumus exitium gehennae illius leiulegorum et rabu-
listarum

listarum a Friderico Borussorum rege profligaturum? Nonne sumus, fuimus et adhuc protinus erimus testes exilii monasteriorum, monachorum, et monialium a permultis iam diu optati, ast a paucis sperati? Quod cum Iosepho nostro possibile fuit, omnium spem in ipso iam diu positam superauit, et mirabilia mundi maiori cum ratione appellari meretur, quam Otto III. Imperator, qui licet iam iuuenis res gessit magnas, in eo tamen haud levem prodidit imbecillitatem, ut sollemaem obierit peregrinationem sacram ad adorandas reliquias S. Adelberti episcopi olim Pragensis, ob conuercionem Borussorum et hac occasione subsecutam eius internectionem, vt et ob singularem Imperatoris in ipsum, dum vixerat, favorem amoremque, inter sanctos relati, Gesnae in Polonia asservatas, ibique nudis pedibus comitante Boleslao tunc Duce postea Rege Poloniae sepulerum sancti illius adierit c) a qua expeditione regiam ortam esse dignitatem regni Poloniae, historici tradunt d) sicut etiam origo Archiepiscopatus Gesnensis ab hoc deriuatur tempore, e)

Huic Duumviratui angustissimo debemus quoque exilium luxus tam in titulis et sermonum allocutionumque ambagibus, quam in ornamentis et vestimentis, sensim ab aliis regibus principibusque, vt in votis est omnium salutis publicae amantium, certe adoptandum, vt tandem eveniat aequilibrium tam necessitatis quam preti rerum, ad victum et amictum nunc necessiarum, mensuram plus iustum exsuperantium, resque cuiuslibet oeconomicas ita adgrauantium, vt non possit, quin aut interitus accidat familiarum, aut matrimonia impediatur, et cum illis propagatio civium turbetur. Quod igitur adhuc leges luxum refrenandi caussa latae efficere non patuerunt, iam efficit exemplum duorum Imperantium in promotuenda subditorum salute et amplianda gloria non vi et armis, belli calamitatem ubique

c) CISNERI oratio de Ottone Imperatore, Argentor. 1608. 8vo.

d) BOEHME de ortu regiae dignitatis in Polonia, Lipsiae 1754.
de STEINWEHR de regiae in Polonia dignitatis origine, Francof. ad Viadr. 1758.

e) MASSOV de fundato ab Ottone III. in Polonia Archiepiscopatu Gesnensi

dissipantibus, sed in dulci pace, gaudium in omnium ciuium domus afferente et exaltante, quoscunque luperantium decessores, et inter semet ipsos remulantium.

Patria quoque nostra felicitatis huius Germanicae participandi nec ultima est. Quis est, qui ignorat, quantum augmentum et incrementum fecit agricultura et commercium maritimum exinde redundans? Quantos nonne fecerunt progressus nauigatio, et quae cum ea coniunctae sunt, negotiaciones tam terrestres quam navales? Euolvas quoefo libros tam reditum publicorum, quam mercatorum et fabricatorum, et inuenies responsonem tibi certo iucundam, et thesin meam supra memorataim corroborantem.

Hic exoptatus reipublicae nostrae status ita non existeret, nisi sacra libertatis ancora nostram fundasset et suffulisset in Denim fidem, ita ut quilibet hic commorari, sedem fixam figere et quaestum facere possit quemlibet, praestitis modo praestandis, absque turbatione religionis, quam aut exercet domesticam, aut cuius publico interest exercitio, aut ad quam exercendam aliorum inter alios fidei suae consortes se conuertit. Cessant nunc etiam apud nos importunae visitationes ecclesiasticae a clericis in domibus laicorum alioquin improuiso ad hunc finem adornatae, vt tam experiantur ciuium vitae genus et morum probitatem, quam nisum ad alia conuertendi sacra exerceant. Et si restat quoque visitatio anniversaria, magis haec honoris et iurium stolae caussa, quam ad turbandam conscientiae libertatem instituitur.

Prono hinc fluit alueo, haud amplius conseruari complures leges circa res ecclesiasticas, antiquis temporibus promulgatas, conscientiae libertati hodiernae autem aduersantes. Ut alia taceam, non amplius inuidia adest et dissensus inter corpora catholicorum et protestantium ob clausulam articuli IV. pacis Riswicensis, multa millia ciuium palatinorum ad emigrationem et ad deserendos lares patrios olim commoventis, reliquas regiones autem, immo ipsas colonias americanas, iam pro liberis rebus publicis declaratas, incolis perutilibus ditantis. Multo magis dolent iam familiae regnantes palatinae nimium illum decessorum in propaganda fide catholica et in extirpanda

panda heresi, uti tunc temporis appellabatur, servorem. Porro nemio amplius ad annum provocabit decretorum in pace Westphalica determinatum contra nudam tolerantiam ciuium alienis sacris addictronum, anno 1624. autem ibidem non commorantum. Ad exemplum augustissimi Imperatoris et celsissimorum principum et archiepiscoporum Moguntiae et Salisburgi non tolerantur solum, sed et volunt Professores et Doctores diversae religionis, non obstante anno decretorio. Quidquid exstructa sunt tempora pro tripli religionis cultu in Germania recepto tam *Viennae* quam *Berolini*, non obstante anno decretorio, et nemo somniauit ex his factis periculum proprii religionis exercitii, potius quilibet sanus exstructionem temporum pro legitimo reputauit modo, cursum auri argenteique hinc quaestum et numerum ciuium augendi, et incrementum redditum publicorum promouendi.

Eodem modo hodie non amplius impedietur, quo minus mortuus alienae addictus religioni in nostris sepeliretur coemeteriis f),

nec

f) Etiam intuitu coemeteriorum se exserit sana nostra aetas tanquam fructus tolerantiae. Ad jura ecclesiastica et episcopalia retulerunt adhuc Canonistae jus circa sepulturam, inter quos eminent *ARROS* a *jure eccl*. Lib. 2. Tit. 10. *CARPZOW* in *jurispr. confis.* Lib. 1. Def. 10. et Lib. 2. Def. 390. Quod ut tanto securius exerceatur, prospexerunt clericorum antistes, ut in templis sepelirentur cadavera emortuorum, quem morem jam recte culpavit *THOMASIS* in *thesi ultima Iurisprudentiae divinae adnexa*, et in *dissert. de jure principis evangelici circa sollemnia sepulturae* §. 8. Diu hoc dictum fuit autibus surdis. Tandem nunc sana redire videtur ratio, victoriamente reportare a praecjudiciis illis antiquis, quae communicationem cum Deo ejusque sanctis propinquam venditabant, si mortui in templis sepelirentur Deo et sanctis dicatis. Fete ubique nunc ad res refertur politiae, justam pro sanitate civium curam agentis, ne tempora porro corrumpantur nocivis cadaverium evaporationibus. Vota ergo adimplentur *LEYSERI* in *spec. 129. med. VI.* et *BRVNEMANNI* in *jure eccl*. Lib. 2. cap. 2. §. 12. in eo prolatu, ut legi duodecim tabularum: hominem mortuum in urbe ne sepeliro neve urito, convenienter vivatur, et salubritas aeris, qui in civitatibus purissimus esse debeat, conservetur, et adeo praefetur, ut extra singulas civitates locus remotior sepulturae mortuorum destinetur.

B



nec prouocabitur ad ordinationem nostram ecclesiasticam revisam pag. 229. fol. I., vbi censurae subiiciuntur ecclesiasticae, qui raro obeunt sacrum confessionis et eucharistiae mysterium. Series actionum quondam gestorum continet quidem actiones fiscales ob neglectionem eiusmodi sacrorum. Hodie autem Fiscalis non audiretur, si conscientiam ita cogere vellet, vt ciues inuitis deitibus ad frequentanda templa, ad audiendas conciones, ad canendos cantilenarum concentus, ad orandas precationum formulas, et ad subeundum in genere cultui Dei externo compellere intenderet. *) Idem hoc foret, ac saepe accidit, quod concionatores obiurgent inopiam auditorum, qui aut collegarum orationes paeferunt sanctas, aut domi lubentius Deum colere, quam vaga eiusmodi concionatorum audire cupiunt verba.

Tales actiones Fiscales et obiurgationes iuste pro inquisitionis specie reputantur, iam ab humano genere inter horribiles hierarchiae quisquiliis et spurcitiis relatae. E contrario commoda et amica adhortatio priuata, publicusque opportuno tempore aut e cathedra aut ex suggestu prolatu sermo, vt et scriptura typis ita promulgata, vt ad omnium uotitiam facilis negotio et vili pretio perueaire queat, plus valent efficiuntque ad formanda ciuium ingenia, ordinandosque eorum mores. Sin autem, hoc noa obstante, quis cultum Dei externum ita spernere vellet, vt in diebus huic cultui diuino destinatis opera ciuila publica sive in iudiciis sive in agris, sive in aliis negotiis domesticis perageret, certe in poenam contumaciae erga imperantis iussum, eiusmodi opera in diebus festis prohibentis, incideret, et hoc respectu actio fiscalis ob neglecta sacra adhuc locum inueniret.

Haec contemplanti mihi fructus obueniunt salutares e tolerantia exinde nati, quod sentiendi libertas sensaque typis profundi

*) In Electoratu quidem Palatino clericorum augustanae confessioni additorum antistites non nulli novam censuram introducere tentarunt ecclesiasticam in laicos, cultum sacrorum externum toties non exercentes, quoties illis opus visum fuit antistibus. Reste autem iusteque risu expositi sunt hi antistites saniorum, ejusmodi conscientiae coactionem abhorrentium.

fitendi ubique locorum fere iam recepta sit. Neminem latet prohibitionem sanae lectionis, praeprimis sacri codicis, primum olim suisse principium ingenia hominum obtenebrandi traditionibus miraculorum et spectrorum. Perfacile exinde euenire potuit maximus superstitutionis gradus, nihil sciendo, nisi quae aut a nutribus et mulierculis, aut a praceptoribus et monachis fuerint tradita. Omnes exinde eventus naturales, summi Creatoris gloriam nunc exaltantes, tunc temporis inter miracula referebantur, aut a daemonibus aut ab aliis spiritibus infernis progenita, quibus sanctos opponere fas erat, quorum ope et auxilio damna averti poterant ex euentibus illis naturalibus secundum naturam sui generis orta et porro oriunda. His sanctis dicabantur non templa solum et monasteria, immo haud exiguis alias fundationum redditumque numerus, ut eo priores fierent ad mittendum auxilium, quasi homo mortuus, licet inter sanctos relatus, adhuc opibus diuinitisque, habitatione, potu ciboque indigeret. Caecitas autem tunc temporis regnans oculos mentemque omnium tantis obduxit tenebris, ut inter peccata referretur mortalia, eiusmodi traditionibus praecepsisque non credere. Ad eiusmodi errores tunc temporis communes adhuc referre licet effectum coronationis Imperatorum Regumque in eo positum, ut absque illa sanctitas non crederetur dignitati eminenti alioquin adhaerens, sed potius cum sancto vnguento a Pontifice aut ab Archiepiscoporum uno, tamquam sancta persona, adhibito, transferri praesumeretur. Haec religio tantos produxit effectus, ut tam Pontifex, quam reliqui clerci coronantes venditare non erubuerint, coronas imperantium ab ipsorum dependere arbitrio. Turbulentis temporibus haec insolentia ita accreuit, ut non coronationem solum denegauerint, sed ipsos etiam Imperatores et Reges coronatos anathemate et depositione persecuti sint, cuius dolendum *Henricus IV.* Imperator cum Pontifice *Gregorio VII.* praebet exemplum. Tanto maiori dignus est laude *Friedericus* primus Borussorum rex, qui sibi met ipsi coronam imposuit regiam cum hoc effato: *ex me ipso mea nata corona.* Idem debetur Imperatori nostro *Iosepho II.* applausus, supersedendo huic vanae ceremoniae, et parcendo sumtibus tan proprieis quam subditorum, multa millia hac occasione alioquin inutiliter consumentium.

B 2 Simul.

Simulac autem ars typographica fuit inventa, et hac duce cuique licuit, mentem suam cum aliis communicate, sensim evenit, ut viri docti et a superstitione liberati civibus suis perversam, quam adhuc ambularunt, viam detexerint, et sanae rationi jura ipsi debita reddiderint g). Sicut in toto fere orbe rotundo bona malis mixta sunt: ita idem quoque accidit in arte hanc salutari typographica. Haud leves exinde prodierunt spurcites et quisquiliae alioquin incognitae. Quidquid acta adsunt criminalia, partim originem, partim frequentiam vitiorum et delictorum alioquin aut incognitorum aut raro perpetratorum, ex libris autem aut prohibitae aut ambiguae lectionis tam ortorum quam acreffentium exhibentia. Interim usum ab abusu discernere mente sanorum cujusque est et prudentis. Usus autem arte typographica promotus tantus est et tam varius, ut abusum vincat plus centies milliesque. Haud exiguo vero illa ars in regnis edidit fructus, tolerantiae et libertati sentiendi non faventibus. Tanto majores toum genus

g) Singulare et iucundum hujus rei exemplum mihi occurrit in Tit. C. de malef. et mathemat. ubi mathematici cum astrologis et magis in una recensentur classe, quod hodie quilibet certe abhorrebit. Tunc temporis autem perplurimi mathematici astrologiam affectabant et mortem Imperatorum consulentibus praesagiebant. Hinc evenit, ut tempore Augusti omnes Philosophi praesertim Platonici et mathematici ex toto expellerentur imperio romano. Pari quoque ratione duximus Constantinus magnus percepta philosophorum consultatione ipse met eos verebatur, legesque contra eos condebat punitorias, de quibus disserit Thomasius in den kurzen Lehrfärtzen von der Zauberei pag. 609, §. 42. Hodie longe aliter se res habet post inventam artem typographicam, quia mathematicorum ingenia et inventiones tam utilia et iucunda apparuerunt, ut nunc loco expulsionis supra narratae prae-miis et vocationibus ubique allicantur.

Alterum mihi obvenit exemplum in art. 44. C. C. C. quo indicia magiae recensentur tunc temporis quidem pro validis habita, nunc autem a nemine amplius pro veris accepta, spretis multo magis tam illis indiciis, quam historiolis et nugis magorum magarumque. Loco tortutae ergo in citato articulo sanctionis Carolinae praescriptae, ejusmodi farinae homines pro aegrotis habentur, et medicorum curae demandantur, quorum auxilio si non reconvalescant, ergo fulis et xenodochiis, usque dum resplicant, includuntur, sicut recte monuit et vanas de magia opiniones dissipavit Thomasius l. c. pag. 618. et sq.

genus humanum Imperatori nostro debet gratias pro exemplo utilissimo reliquis imperantibus in eo quoque exhibito, ut liberum reddiderit exercitium typis imprimendi, non sacram solum scripturam in linguam vernaculam transversam, sed etiam quaevisque sententia, et civibus aequo scitu utilia putat h). Nulla exinde fere existit scientia-

B 3

rum

a) Introducta sic tolerantia et libertate sentiendi sententiasque typis cum aliis communicandi non amplius provocandum est ad statuta antiquis temporibus intolerantiae condita, hanc sentiendi libertatem restringentia et inter haereticos referentia, qui clausis oculis receptas sequi nolit opiniones. His statutis recte opponitur effatum ecclesiasticum in concilio generali propositum et in c. 18x. de consang. et affiu. sequentibus insertum verbis notau dignis: *Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem temporum statuta quandoque varierunt humana, praesertim cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit, quoniam ipse Deus ex his, quae in veteri testamento statuerit, non nulla mutavit in novo.*

Hanc regulam quoque secuti sunt haud ita pridem perplurimi tam magistratus quam reverenda clericorum nostrorum protestantium ministeria, dum partim deleverunt partim mutaverunt hymnos antiquis quidem temporibus aptos, hodie autem ad scandalum potius, quam ad pietatem ducentes. Quae huius causa nova orta est controversia imperium inter et sacerdotium ad mutationes quoque referre licet nostro aevo evenientes. Olim solius esse sacerdotii, pro conciencia earumque textis et hymnis curam agere, quilibet est opinatus. Hodie autem ad jura imperii referuntur civilis, vigilare ne sub praetextu novorum hymnorum in templis usitandorum cives tributis onerentur necessitate emendorum librorum, quibus hymni continentur, coacti, et sub hoc pallio jus exercetatur collectandi.

Duce hac regula speranda quoque est utilis reformatio liturgiae nostrae iuxta consilia Theologorum eruditione et fama conspicuum Zollikofer, Seiler et Pratje. In exorcismo pluribus in locis et nuperime in hac quoque utbe salutare jam coepit est reformationis initium, et reliqua exspectare licet a laudabili nostrorum Theologorum mente tam tolerantiam foventium, quam errores antecessorum nunc detectos et nostris temporibus claritate ingeniorum divulgetibus haud amplius aptos, clausis porro oculis non sequentium. Haec mea spes tanto firmiori nititur fundamento, quanto utilius doctum est et propositum hoc negotium non a scriptoribus solum politicis, suspicione novitatis studii laborantibus,

sed



rum species alioquin abscondita , et ab opificibus plerumque inter
 arcana relata , quae nunc typis et tabulis non invenitur descripta.
 Modo epicheiresis justo non foret impedimento , quodlibet hodie
 artificium opificiumque ex libris discere licet , hinc tam superfluo
 tirocinii temporis cursui , quam gesticulationibus aliisque praestigiis
 opificum supersedere quisque potest artium cupidus. Ut taceam
 inventiones per artem typographicam promulgatas ad cognoscen-
 dum siderum et stellarum cursum , ejusque in terram nostram influ-
 xum , ad perforanda et investiganda terrae viscera , ad effodiendos
 thesauros in diversis metallorum generibus , et ad discedendos omnium ge-
 nerum in tribus regnis naturae effectus. Quod ut adhuc magis ma-
 gisque inter homines inferioris classis increbat , imperantes perplu-
 rimum jam ordinarunt jussurumque , in calendariis loco historiolarum
 superstitionem alentium scientias dozere , agriculturae et opificiis in-
 servientes. Majores certe euenirent fructus , si concionatoribus et
 ludimagiistris ruri degentibus injungeretur , horas dierum dominico-
 rum et festorum pomeridianas , lului et potui , immo saepe saltatio-
 nibus destinatas , ita consumere , vt praelegerent et explicarent , quae
 tam in calendariis quam in altis libris lectu dignis ad excolenda et emen-
 danda rusticorum ingenia aptis continentur. Tunc certe educatio ho-
 rum hominum nunc plerumque stupidorum et ad consuetudines ex-
 facco et libro ut plurimum magis , quam ad principia sanae rationis ad-
 suetorum , longe aliter euaderet , melioresque tam sibi ipsis quam ci-
 vibus gigneret fructus. Ad hunc finem exoptatum tanto securius faci-
 lisque obtainendum , Imperator quoque noster salutariter sanciuit , vt
 omnes omniu[m]o clerici , aut ad munus sacerdotale aut ad aliud benefi-
 cium ecclesiasticum adspiran[ti] es , antea cursum scholasticum in erudienda
 iuuentute per aliquot annos absoluere , inque eo ita se praefare debeant ,
 vt maiori officio et commodo ecclesiastico digni habeantur ; quo simul
 euenit , vt habiles doctique habendi sint ludimagiisti , nec amplius in-
 opia horum dolenda sit virorum reipublicae utilissimorum. Quidquid
 in
 sed a Theologis auctoritate doctrinae et puritate religionis eminenti-
 bus , hinc fidem et fiduciam secum ferentibus , quorum ergo consilia
 ut a legislatoribus examineantur , et executioni demandentur , digna sunt
 habenda .

in scholis hisce tolerantia adeo est introducta, vt iuvenes diuersae religionis, imino et Iudeorum, eas frequentare, scientijsque cuiilibet tamquam ciui futuro vtilibus, imbuī possint. Interim manuductio ad cognoscenda principia religionis cuiusvis haud negligitur, sed horis instituitur separatis a paeceptoribus hunc in finem specialiter constitutis.

Tantis autem fructibus salutaribus non absoluītur tolerantia iam ubique fere introducta, sed eosdem quoque edidit fructus in abolenda vi metuque, cui adhuc subiecti fuerunt monachi et moniales vt et reliqui clerici, voto sollempni, vti vocarunt, castitatis, re vera autem contra creatorem, qui matrimonia inque iis procreationem sobolis et multiplicationem generis humani paecepit, obstricti. Cuique horum hominum nunc pro lubitū monasteriorum ergastulis egredi, matrimonium contrahere, negotioque civili se dicare licet.

Quae insuper ad manus mortuas damnatae fuerunt dñitiae monastriales iam commercio patent laicorum, et licet fisco cesserint tamquam bona vacantia, Imperatoris religio tamen haud fucata vībus eas reliquit piis in educanda iuuentute, et subleuanda senectute atque paupertate, vt et in sustentandis clericis parochialibus, nunc iuxta situm locorum et numerum incolarum rite distributis et colloccatis. Quae adhuc quoque neglecta fuit educatio liberorum militum, ex hisce instituitur et sustentatur bonis, ex quo simul sumnum hoc nascitur bonum, vt salutaris adsit militum iuuenium schola, et fideles eduentur patriae defensores, proditionem et desertionem abhorrentes, et reliquorum commilitonum mores corrigentes.

Intuitu aliorum ciuium et subditorum se quoque exserit mutatio principiorum ab imperantibus adoptatorum, et tolerantia stabilitorum. Cameralista olim maximis obruebatur laudibus praemiisque, inuenitionibus ad augendos imperantis redditus, sive sint capti sive sint rapti, modo sint apti, diues.

Hodie

Hodie autem exploderetur eiusmodi homo uentosus, et imperantes maximam nunc in eo quaerunt inueniuntque laudem glorianique, vt subditi ab oueribus tributisque, quantum unquam fieri possit, liberentur, et hoc non obstante sumtus erogentur publici ad sustentandam familiam regnaticem, ad soluenda officialium tam aulicorum, quam prouincialium et militarium salario, et ad sustinenda reliqua regiminis onera permulta variaque ac necessaria. Pro via nunc temporis reputatur familia Imperans cum subditis, qui ab illo ceu Patrefamilias tanquam liberi ab ipso progeniti amandi sunt, et quibus parcendum est, sicut ille ab his tanquam optimus colendus est pater. Haud raro exinde euenit, vt donis praeuenient hodie gratuitis subditi morigeri necessitatem imperant, aut insperato casu fortuito aut aliunde exortam, et non historia solum sed etiam hodierna testatur experientia, quoties aes alienum, magna saepe pecuniae summa constans, et ab imperante contractum, subditi in se suscepint, id eoque eius curas leuauerint saluti publicae alioquin nocuas. Ad remuneranda eiusmodi singularis in se amoris signa non potuit euenire, quin totum se subditis suis dicauerit imperans, omnesque aboluerit sumtus superfluos, et parsimoniae mirandum euaserit exemplum. Sicut in hoc laudabili exemplo *Iosephus II.* miranda *Friedericus II.* vestigia secutus est, ita in eo quoque reliquis imperantibus suae religionis excellentissime praeiuit, vt omnem dissoluerit nexum clericorum suae editioni domesticae subiectorum cum clericis extraneis, siue sint superiores, sive aequales, siue inferiores. Maximum exinde redundauit emolummentum intuitu magnae pecuniarum quantitatis alioquin Pontifici Romano pro innumeris sere titulis solutarum, qui sub nomine annatarum, mensium papalium, collationum, prouisionum, reseruationum, dispensationum, absolutionum, remissionum, pallii et quae sunt reliqua nomina harum exactiōnum, sensim a Pontificibus Romanis pro augendis redditibus camerae papalis inuentarum, et ab asseclis eorum haec tenus persolitarum. Intuitu Pontificis, pro Episcopo romano et non plus ultra aestimandi, vt et intuitu Nunciorum ab ipso delegatorum, status quoque excitauit Imperator Germaniae ecclesiasticos, vt iugum hoc deponant astutia et auaritia papali ipsis impositum.

cibach

Dubitare

Dubitare quidem liceret, an salua haec omnia iustitia fieri possint, cum pacta ad sint sollempnia 1) Imperatores inter et Pontifices de statu, iuribus et redditibus ecclesiae inita. Magnam haec dubitatio veritatis speciem praese fert, perlegendo et contemplando contenta horum pactorum, iura imperii et sacerdotii tunc temporis controveresa determinantium. Historia duce autem scimus, quibus sub circumstan- tiis magis coacta quam libere sancita sunt eiusmodi pacta.

Maximus potentiae clericalis abusus, permagna usurpatio imperii ecclesiastici, falcem suam in imperium ciuale immittentis, et tunc temporis non extera solum regna, sed nostram quoque patriam Germanicam ad eius exitum usque perturbantis, et infirmitas imperii ciuilis, per expeditiones cruciatus et excommunications papales tunc aucta, non potuerunt, quin talia producerent pacta, quae limites tantum posserent hierarchiae papali. Quae cum autem omnia hodie plane cef- fant, obtinet regula iuris tam naturalis quam ciuilis : *cessante ratione cessat rationatum*. Hinc tam iustum quam aequum est, imperium ciuale, quod olim suum erat, nunc vindicare et recuperare. Laudandus ergo est Imperatoris nostri conatus in abolendis omnibus supra nominatis modis acquirendi iniustis, a Pontificibus romanis usurpatis.

Qui iustus conatus, cum ad restringendas omnes exactiones externas a subditis sub specie et colore curae animarum adhuc extortas tendit, hand immerito se quoque ad subordinatos episcopatus, archiepiscopatus, abbatias, et reliqua instituta ecclesiastica exserit. Hinc non reprehendenda est exemptione bonorum et praediorum ecclesiastico.

i) Inter haec pacta eminent :

- 1) conventio inter Pontificem *Calixtum II.* et Imperatorem *Henri- cum V.* de investitura Episcoporum et Abbatum inita Anno 1122.
- 2) Concordata nationis germanicae cum S. S. Sede Apostolica inter Pontificem *Nicolaum V.* et Imperatorem *Fridericum III.* super collatione beneficiorum ecclesiasticorum inita Anno 1448.

Ambo haec instrumenta edita sunt a Schmauß in corpore jur. publ. acad. pag. I. et 37.

C

fiasticorum, episcopatui Passantiensi alioquin subiectorum, in terris Austriacis autem sitorum, eorumque destinatio ad proprios et domesticos animarum curatores, alieno non subiectos imperio. Magna quidem exinde praeuidenda est renglutio, et insiniae vere metuenda sunt lites intuitu perplurium nexuum ecclesiasticorum; praeprimis in territoriis statnum non clausis et diuersae religionis.

Primum iam adeit huius rei exemplum inter Electorem Moguntinum et Langrauios Hassio-Darmstadiensem et Homburgensem ob praecidia tribus coenobiis in territorio Moguntino nunc sublati propria, subdivisione Hassiaca autem sita. Hac occasione multum longeque disputatur de vero Art. V. § 47. pacis Osnabrugensis sensu, et nisi me omnia fallant, tota lis distinguendo dirimi potest, num bona monastica in Hassia sita ecclesiasticis porro destinata maneat visibus, ut Academiae iam dicata sunt Moguntinae, an ciuilibus forte in posterum adjudicentur negotiis. In priori casu Electori et Archiepiscopo permanere debent Moguntino. In posteriori casu autem Landgravio recte cedunt Hassiaco. Licet enim vi iuris reformandi Electori Moguntino omnino liceat, monasteria in suo sita territorio dirimere et supprimere, bonaque horum monasteriorum alienis applicare visibus ecclesiasticis, quo facto sunt manentque bona ecclesiastica suo imperio ecclesiastico adhuc potro subiecta. Attamen corruente per secularisationem qualitate ecclesiastica, exsurgit ius fisci Principis Hassiaci saeculare, in bonis eiusmodi vacantibus succedens k). Exem-

k) Optime hac de causa commentatus est perillustris Cancellarius Giesensis Koch in scriptis, quibus tituli sunt: *Neuer Aufschluß über die Stellen des Westphälischen Friedens, welche die Mediat-Klöster und deren Güter und Gefälle betreffen I. P. O. Art. V. §. 3. 2. 25. 26. 31. 32. 45. 46. 47. Gießen 1783*, item *Revision der rechtlichen Staatsbetrachtungen, ob die in dem fürstlichen Heßischen Gebiete gelegenen Güter und Einkünfte der von dem Kurfürsten zu Mainz im Jahr 1781 aufgehobenen drey Klöster dem Kurfürsten oder dem Landgrafen von Hessen von Rechtswegen zugefallen sind, Gießen 1783*.

Adm. His scriptis privatis successerunt in lite jam permanente scripta publica, inter quae eminet quod a parte Landgratorum ad insinuanda

plum huius rei illustre iam exstat in instituto scholae et educationi puerorum destinato et prope Magdeburgum sito, voce: *Kloster-Ber-gen* appellato. Licit enim monasterium ante reformationem monachis fuit repletum, nomen tamen et omen in vsu conseruatum est ecclesiastico, ab omnibus nunc vtiliori quam antea habito. Nemo ergo sanus eiusmodi salutarem pro secularisatione reputabit reformationem, et praedia monasterii alibi sita eiusdem domini territorialis addicet fisco. Inter pia enim iam dia relata sunt et adhuc referuntur instituta ad informandam iuuentutem qualem qualem, et ad adiuvandum genus humanum, quale sit quale, apta.

Nil ergo interest, vtrum militibus emeritis et valetudinariis, et liberis militum educandis et eorum viduis alendis, an reliquis personis ciuilibus in xenodochiis, ptochodocheis, orphanotropheis,

C 2
geron-

genda decreta judicij Imperii aulici in favorem Electoris Moguntini publicata, et ad justificandum recursum ab his decretis ad comitia Imperii Ratisbonensia interpositum, inter legatos statuum Imperii distributum est sub titulo: *Die Rechte der Landeshoheit deutscher Reichstände auf die in ihren Ländern gelegene Güter und Gefälle eines neuerlich unterdrückten und aufgehobenen Katholischen Mediat-Klosters, wider die Eingriffe der Landesherrn des Kloster-Ortes vertheidigt, zur Rechtfertigung der durch das unbefugte Verfahren und die Erkenntnisse des hochlöblichen Kaiserl Reichshofrats in Sachen Sr. Kurfürstl. Gnaden zu Mainz und Höchster Universitat daselbst, contra die Herren Landgrafen zu Hessen-Darmstadt und Homburg Hochfürstl. Durchlauchten etc. erlatum d. 4. Jul. 1785, cui oppositum est a parte Moguntina scriptum sub rubro: Beweis daß die Entscheidung der Sache Sr. Kurfürstlichen Gnaden und der hohen Schule zu Mainz gegen die Herren Landgrafen etc. keiner authentischen Erklärung des Westphälischen Friedens, am wenigsten Art. V §. 47. bedürftig, das darin ergangene Urteil des Kaiserl. Reichshofrats keiner gemeinen Beschwerde der Stände fähig, der von den Herren Landgrafen dawider gewagte Recurs nicht nur zu keiner Reichstädtlichen Berathung geeigneschaftet, sondern daß vielmehr dadurch Sr. Kurfürstl. Gnaden berechtiget seïn, Se. Kaiserl. Majestät und sämtliche höchste und hohe Reichs-Mitstände zu ersuchen, diesen so gearteten Recurs von dem Reichstage abzuweisen etc.*
dictatum d. 13. Jul. 1785.



gerontocomis et quae sunt reliqua instituta pia, destinantur bona monasteriorum nunc dissolutorum et adhuc dissoluendorum. Modo pius perduret usus, idem est et manet respectus et nexus ecclesiasticus, licet in perplurimis territoriis statuum augustanae confessioni addictorum principium inualuerit, nec matrimonia nec sponsalia nec pia instituta inter res ecclesiasticas porro referenda, sed regimini subiicienda esse saeculari. Quamdiu res tantum inter principes eiusdem religionis, aut inter imperantem et subditos, eadem colentes sacra agitur, nil interest, quibus iuris principiis viuere placet. Simulac autem inter principes diuersae religionis lis oritur, tunc maxime interest, num antiquis an nouis iuris principiis decisio formanda sit.

Idem quoque foret tam in erigendis quam in dissoluendis institutis scholasticis siue maioribus in Academiis et gymnasii, siue minoribus ubique locorum obuenientibus, et hodie, ut iam ante dictum est, singulari et eximiae curae cordique imperantium existentibus. Inter iura officiaque olim referebatur ecclesiastica haec cura scholarum, quoniam animae in illis formari et educari credebantur. Hinc quoque evenit, ut absque papali confirmatione nulla olim fundata sit Academia. Immo non confirmatio solum, sed tota fere fundatio, praeprimis quoad iura ipsis tributa, a Pontificis dependebat arbitrio, qui non propriis quidem dotabat bonis, ast ab alienis ut dotarentur divitiis, omnino curabat, quo tanto ampliora fierent bona ecclesiastica imperio subiecta papali.

Hodie autem longe aliter res se habet. Absque Pontificis consensu academias et scholas tam erigi, quam dissolui posse, nemo amplius dubitat principum, catholicae licet religioni sit addictus. Maxima exinde fuit admirationi, quum nuperisse Elector Bauaricus in transferendis bonis Jesuitarum ad equites ordinis Melitensis, et in erigenda prouincia Bauarica linguae germanicae, consensum et confirmationem requisiuerit papalem, cuius rei nullam aliam diuinare licet rationem, quam aut nimia erga sedem romanam indulgentia, aut timor dissolutionis ab Electore succedente metuenda et sperandae,

dae, per hanc confirmationem papalem certe hodie non impedienda.

Iure canonico certus porro aetatis annus ad soluenda clericatus, seu monachatus vota praescriptus est. Sic iuxta c. 12 et 14 X. de regul. desideratur annus discretionis, quia vitae austerioris maturius desiderabat iudicium *l).* In c. 6 X. de regul. praescribitur plenae pubertatis annus 18., qui autem per mox subsequenter, c. 8. X. eod. ad annum 14., extensus est. Tandem in concilio Tridentino Sess. 25. de regular. c. 15 annus 16 complectus est determinatus, ita ut professio ante eum facta nullius sit momenti *m).*

Hoc non obstante in terris Austriacis per edictum de 3 Nov. 1770 annus professionis ad annum aetatis 24. est determinatus, et in eo ius supremi in ecclesiasticis imperii, non attenta curiae romanae contradictione, inualuit. Maiori adhuc se exserit nuperrime hoc ius effectu, dispensando in totum per Imperatorem Augustum, et relaxando omnia vota a monachis et monachalibus soluta, tam in monasteriis plane sublati, quam in aliis coacta vota adhuc nutrientibus.

Vt alia taceant aliorum Imperantium catholicorum edicta, eamdem salutarem, quoad annos ad suscipienda vota aptos, continentia dispositionem. Facile quoque praeuidere licet, parum abesse, quin reliqui imperantes catholici Imperatoris nostri vestigia premant in reformatis abusibus ecclesiasticis, et in restringenda nimia Pontificis eiusque asseclarum potentia, saluti publicae adhuc tam nocivis, quam genuinis sanas rationis principiis aduersante. Quo magis au-

C 3 tem

l) Car. Molinaeus in annot. ad jus pontif. ad cap. 12. X. de regular. pag. 210.

m) In quibusdam tamen ordinibus annus 18 adhuc exigitur. Pellizar in manual regular. Tr. III. c. I. n. 37. Boebmer instit. jur. canon. Lib. III. Tit. XXXI. §. VII. n. 7.



tem auctoritas, et diuitiae labescuntur Pontificis et clericorum, tanta maiora innascentur potentiae ciuili incrementa. Durante et accrescente tolerantia nihil exinde metuendum est principibus et territoriis Augustanae confessionis addictis, sub aliis circumstantiis omnino periculoseum. Et cum aequilibrium Europaeum alioquin maxime cultum hodie inter ludibriæ refertur politica, principum protestantium nunc erit, sequi consilium de *Iusti in Chimere des Gleich-Gewichts von Europa n.*), et auctoris libri olim prohibitæ lectionis, nunc autem non lectu solum permitti, sed etiam exactæ executioni demandati, sub titulo: *Oesterreich über alles, wann es nur will*, in exaltanda salute ciuium interna, in augendo eorum numero per tolerantiam et matrimonii fauorem, in diuulgendo commercio, in promouendo opificiorum et fabricarum incremento, in abolendis nimiis tributis et exactiōibus a subditis soluendis, in administranda celeri et haud sumtuosa iustitia, in conseruandis priuilegiis libertatem ciuium concernentibus, aduenas alicentibus et subditorum vitam redditibus incundam, in abhorrendo et impediendo iniustas acquisitiones siue ab exteris, siue a conciuibus faciendas, sive fidem fiduciamque tam vicinorum quam propriorum adquirendo subditorum.

Plures quidem iam adsunt et maiores adhuc sperantur fructus tolerantiae salutares. Ast modo nominati scopo sufficiunt praesenti ad excitandam piam erga D E V M mentem. Quum enim tanta sunt bona, quæ aut originem aut incrementum ex tolerantia trahunt, non possumus quoque, quin *summum* veneremur *Numen*, ingenia principum nostri seculi ita illustrans, ut salus solum publica ipsis su-

prema

n) Nostris tamen, quibus vivimus temporibus, obvenit casus aequilibrii licet non Europæ tamen Germaniae, in foedere illo famigeratissimo, quod sub nomine: *der teutsche Bund* occurrit, quo permutatio Electoratus Bavariae cum terris Austriae Burgundicis, ut et secularisatio territoriorum praediorumque ecclesiasticorum imperii immediatorum legibus et pactis conventis immo aequilibrio Germaniae adversa habetur. ideoque unitis viribus impedienda declaratur. Confer scripta hunc in finem ab utraque parte divulgata et haud longe dubitabis, cui calculus sit adjiciendus.

preima lex sit, cuius gratia recte sentientes quidem prae aliis fouentur et fauentur, ast errantes non protinus aqua et igni interdicuntur, aut rogo damnantur, sed vel mansuetudine christiana conuertuntur vel tolerantur, dummodo principia religionis saluti haud aduersentur publicae, alioquin transplantantur ad loca reipublicae innoxia. Hanc gratiam diuinam vt mecum in his feriis pentecostalibus exaltetis, vos ciues omnium ordinum honoratissimi, oro et obsecror.



P. P.


S V B S I G I L L O R E C T O R I S
F E R I A P R I M A P E N T E C O S T E S

A. R. S. M D C C L X X X V I .



and this was made in after times
when he left us to take charge of his
country, according to his own words
he said he had then given up his
country, though he had not yet
done so, and he would not do so
until he had got his son to make
an end to his life.

9.9
СЛОВА РИМСКАЯ
СЛОВА РИМСКАЯ
СЛОВА РИМСКАЯ



dae, per hanc confirmationem papalem certe hodie non impe-
diendae.

Iure canonico certus porro aetatis annus ad soluenda clerica-
tus, seu monachatus vota praescriptus est. Sic iuxta c. 12 et 14 X.
de regul. desideratur annus discretionis, quia vitae austерitas maturius
desiderabat iudicium 1). In c. 6 X. *de regul.* praescribitur plenae
pubertatis annus 18., qui autem per mox subsequentem, c. 8. X. *eod.*
ad annum 14., extensus est. Tandem in concilio Tridentino *Sess.*
25. *de regular.* c. 15 annus 16 completus est determinatus, ita ut
professio ante eum facta nullius sit momenti m).

Hoc non obstante in terris Austriacis per edictum de 3 Nov.
1770 annus professionis ad annum aetatis 24. est determinatus,
et in eo ius supremi in ecclesiasticis imperii, non attenta curiae ro-
manae contradictione, inualuit. Maiori adhuc se exserit nuperrime
hoc ius effectu, dispensando in totum per Imperatorem Augustum,
et relaxando omnia vota a monachis et monachalibus soluta, tam in
monasteriis plane sublatis, quam in aliis coacta vota adhuc nu-
trientibus.

Vt alia taceam aliorum Imperantium catholicorum edicta, ean-
dem salutarem, quoad annos ad suscipienda vota aptos, continentia di-
spositionem. Facile quoque praeuidere licet, parum abesse, quin
reliqui imperantes catholici Imperatoris nostri vestigia premant in
reformandis abusibus ecclesiasticis, et in restringenda nimia Pontifi-
cis eiusque asseclarum potentia, saluti publicae adhuc tam nocua,
quam genuinis sanas rationis principiis aduersante. Quo magis au-
tem

C 3

1) *Cor. Molinaeus* in annot. ad jus pontif. ad cap. 12. X. *de regular.*
pag. 210.

m) In quibusdam tamen ordinibus annus 18 adhuc exigitur. *Pellizar* in
manual regular. Tr. III. c. I. n. 37. *Boebmer* instit. jur. conon. Lib.
III. Tit. XXXI. §. VII. n. 7.

